

2^o *Foll. 32 - 1/2*
IN OBSEQUIUM,
) CULTUM,
AC VENERATIONEM
ILLIUS APOSTOLI,

QUI

Sermone , Sanguine , Corpore,
Aragoniam , Palestinam , Galliciam,
Enutrivit , Decoravit , Illustrat.



uno verbo,

JACOBI ZEBEDÆI
HISPANIARUM PATRONI.

THESES

ex Sacra Scriptura depromptas

dat publicæ luci

demisso , humili , reverentique animo,

D. EMMANUEL ANTONIUS POL , ET ANDRADE,

*Qui , propugnaturus eas , sedebit. Præerit autem , ut moris est,
Disputationi*

DOCT. D. MICHAEL ANTONIUS,

de Montes à Piñeyro.

*Canonicus Lectoralis Apostolicæ , & Metropolitane Ecclesiæ
Jacobeæ , & Compostellano in Lycæo Cathedræ
Sacrae Scripturae Moderator.*

COMPOSTELLÆ:

Ex Typographia D. ANDRÆ FRAYZ , Sanctæ Inquisitionis Typographi.

EPISTOLA APOLOGETICA.



I X *Theses* Biblicæ , quæ hæud ignaviter sudarunt
 sub prelo anno retroacto , ad manus cupide Juven-
 tutis pervenerunt , cum illico omnium sermone per-
 crebuit ; Aliquos suprà Adolescentes natos approbare
 calculo suo nolluisse , quæ ad singulorum utilitatem fuerant sincere
 scripta : quin etiam graviter fuisse conquestos , nos plus equo felle
 tinctum acuisse calamum in Theologos Scholasticos , & nimis di-
 vinarum studia Scripturarum laudibus usque ad Cælum attolisse ;
 veluti si absque istarum fulcimentis nemo eruditus audiret , nemo
 in Theologicis sedes Curules occuparet , nemo Tabulas sacræ Geo-
 graphiæ rimaretur , nemo Rationes Temporum conciliaret , nemo
 denique quæcumque ab Hæreticis solita obiectari , non valeret vel
 hebetare , vel propellere , vel sugillare , vel retundere. Nos,
 qui nec voce , nec Scriptis aliquem lesimus , nec umquam lacessi-
 vimus , quippe qui , quàm tumultuosam gloriam , semper quietem
 amplius obscuram & concupivimus , & faustis avibus amplexi
 sumus ; profecto effrangeret tanta colluvies querelarum , si alio-
 rum , qui eandem Provinciam susceperunt , edocti iteratis casi-
 bus , hæc , & alia id genus non fuisset ferre assuefacti , &
 sustinere , & perpeti , & , quod extremum est , tacere. Ecquīs
 autem ignorabit vitia doctrinarum rationibus equa libratis lance,
 & semoto omnium studio partium , volentem castigare , extemplò
 paucos licet me non fore irritaturum ? Ecquis , mehercule , tam
 plumbeus erit , ut nesciat , omnia , quæ vel levem sapiunt novita-
 tem , ingens aliunde certò Scientijs lumen allatura , à quibuscum-
 que Antiquitatis Cultoribus nauseari , ac fastidiri ? Nichilosecūs,
 si quod sentimus , sine fuco alloquendum est , ultrò fatemur Istorum
 contracentium cavillationes , & si ad animum non pervenisse , at-
 tamen aliquantulum nostram exasperasse cutem. Quamvis enim
 qui-

quicvis cordatus amet morosos habere Censores Thrasones, ac Phormiones; tamèn vix iste fastidium scurrilitatis vitabit, præsertim quando Homèromastrices sunt eorum, qui in certamen literarum prodeuntes usquè ad fastum tricas ambiunt, gravitatem doctrinarum parvipendunt, & in quamdam vulgarium sententiarum obstinationem, popularem gratiam præoptantes, illabuntur. Pròb acumen, hominumquè mentem! Hacce de causa bis, qui ità in me stomàchum palàm eruperunt, modesto, simplici stylo indoli nostræ attemperato, & qualiter decet hominem Deo sacrum; ero impræsentiarum satisfacturus; non ut meum improbem iudicium, quod est bonarum Artium Sèctatorum, sed ut patefaciam & nostrarum Musarum suavitatem, & quoquè animi integritatem, ac candorem. Quæ omnia si probabuntur, non parum mihi gloriæ accedet, videre ea posse conferre in posterum ad regimen, & emendationem studiorum. Si vero respuantur, uti ab aliquibus respuentur, sciant ne vel levem quidè nobis fore molestiam creaturos, quippè nostris opinionibus non adeò mordicè adhaeremus, ut velimus subigere libertates aliorum.

Profectò si ea spectetur, quæ Theologia Scholastica nuncupatur, ut abstracta à certo quodam genere procedendi, seu ab illa expedita, & methodo accurata, quam progressu temporis accepit, & in quam nunc digesta, novis que commentarijs illustrata traditur, ac edocetur in Scholis; antiquissima sanè est, cuius usum continuò in Ecclesia viguisse colligitur ex benè multis novi Testamenti locis, Apostolicis Scriptis, & propè infinitis Sanctorum Patrum lacubrationibus. Si verò introspectatur ea iuxtà illam methodum, qua nunc in unum corpus artificio subtilissimo contracta Theoremata Theologica appositè, ac sapientèr ordinata pertractat, ac dilucidat; tanta porrò nequit antiquitate gloriari. Etenim fuit Petrus Lombardus, qui primò in ordinem eam distribuere aggressus est. Quem postea fucere secuti Robertus Pullus Cardinalis: Anselmus Decanus Laudunensis, & alter etiàm Decanus Trecensis Petrus Comes-

+ tor : Irrefragabilis Doctor Halensis Alexander ; quoque Subtilis
 Joannes Duns , & fundamentalis Ægidius Augustinianus. Quos
 inter singulariter enituit S. Thomas Aquinensis iure dictus Prin-
 ceeps Scholasticorum. Hunc autem postremum Scholasticus modum
 procedendi esse subtiliorem , & iuxta accommodatiorem ad per-
 plexa , captiosaquè exsufflanda argumenta , ad diluenda Hæreti-
 corum sophismata , confutandas Ethnicorum argutias , novitates
 dissipandas , ac ad fidei Catholicæ Depositum custodiendum illi-
 batum ; Nemo inficias ibit , nisi quis malè feriat , & osor ve-
 ritatis , qui vias Dialecticas vafre declinans , ad partes declamato-
 rias convolet , ubi & varietas , & confusio , ac invectivarum li-
 centia , eum faciant liberiores in probatione minus coactum , sed
 reapse audaciorem in declamando. Quo astu ad suas ratiunculas
 roborandas usus est post homines natos spurcissimus Lutherus , qui
 + dum artem syllogisticam efugere adlaborat , Scholasticorum Aulas
 appellavit Lupanaria Antichristi. Melancthon eiusdem furfuris
 vir Scholasticam prophanam fidem extinxisse , ac Evan-
 gelium obscurasse , turpiter effutivit. Audiendus Fansenius
 quoque : Scholasticos nè novum , nè vetus testamentum
 intelligere : sed Babyloniam quamdam confusionem ,
 cimmeriasquè quasi tenebras in Theologiæ moralis fa-
 ciem , nimium ratiocinationibus indulgendo , intulisse.
 Vah homines impudentes ! Qui ea de causa latrant , ac convician-
 tur , quippe Theologiæ Scholasticæ arte , studio , ac diligentia ver-
 sutie eorum referantur , panduntur paralogismi , ac fallacie de-
 teguntur. Quamobrè scripturiant , ac blaterent quantum velint ,
 + sublimissimæ adeò scientiæ solers opera exhibenda est , & calca-
 ribus omnibus excitandi sunt Adolescentes , ut de Deo , eiusquè
 divinis perfectionibus cognitis per revelationem , ac fidem , sobriè ,
 ac temperatè differentes ex Armamentario Scholasticis promant
 arma salutaria , queis debacchantium dolos repellant , ac configant.
 Quid igitur , quæso , est , quod anno retroacto in nostra Galeata
 + oburgavimus , reprehendimus ? Nè industriam , ac Scholasti-

corum studium? Apage, eo quandoquē magnoperē oblectamur, nobis
 primum porrexit victum, enutrivit, ac aluit. Sugillavimus ergo
 juvenes Scholasticos duntaxat, qui longo peracto temporum stadio,
 postquam calens his in studijs cerebrum confrigēserunt, numquā
 quiescunt, quæ sita peroptant salebrosa, semper subtilia mutuan-
 tur, & tam multa definiunt, quæ vel in ambiguo relinqui, vel
 poterant ignorari. Imò tanta est illorum prurigo, ut ubiquē syllo-
 gizando, consēnescunt, ac emoriuntur. In quo hos à germana
 ediscendi methodo aberrare, norunt quotquot sacris Literis manus
 dant, tempus terunt, & Theologiam Scholasticam cum Possitiva
 sociant, ac iungunt. Quocircā hi huiuscemodi Scholasticorum lu-
 xuriam animo cogitantes, aliquando solent lepidè sciscitari: Qui
 Theologi penitus absoluti (ita nos Deus amet) poterunt esse illi,
 qui Critices disciplinæ ignari non proprijs, sed alienis Sanctorum
 Patrum Scripta oculis legunt, & eorum opera genuina non se-
 cernunt à spurijs; nèquod luxatum, ac depravatum est, integri-
 tati suæ restitunt? Qui poterunt Theologi esse illi, qui prorsus
 in Geographia peregrini, ignorant loca, ac Civitates, quas &
 Christus Dominus interitu, ac vita collustravit, & Apostoli per-
 agrarunt, & in quibus conscripta fuere Sanctorum Martyrum
 Acta, vel generalia celebrata fuere Concilia? Qui poterit Theolo-
 gus esse ille, qui omnium, quæ ad Historiam, ac Chronologiam
 attinent, planè rudis, cognitionem Fastorum Consularium, &
 Temporum notitiam non appendit ad veritatis statèram? Nèc
 Pontificum Romanorum, nèc Imperatorum, nèc Principum va-
 let describere successiones? Imò nèc tenet, quonam Ecclesiæ sæcu-
 lo emerferint Controversiæ, Hæreses, ac Schismata? Heu quanta
 Deus bone! Quæ Scholasticus facillimè assequeretur, si ad tempus
 relictis Dialecticæ studijs, quæ sat superquē per plures annos in-
 dulsu, in Biblicis se exerceret, in quibus sanè continentur &
 Chronotaxis, & Geographia, & Critices. Hanc viam capeffere
 Theologi nostri nobiliores Hispani, & quorum nomina ad temporis
 prædicationem infiniti erunt omni posteritate permansura. No-
 mi-

minandi erunt? Absit invidia verbis, nominandi sunt. Hi fuerunt (ut præteream silentio, quoniam aliò suæ lucubrationes collimarunt, meum Antonium Augustinum, & de Vives, & de Granada Ludovicos) duo Cardinales, Præsules duo, & alter Eximius Societatis Jesu Scriptor. Joannem de Turrecremata, ac Josephum de Aguirre, Alphonsum Tostatum, Canum Melchiorum, ac Franciscum Suarez, nemo abnuet Theologiæ Scholasticæ indefessè incubuisse. Ast si metas inter huius clarissimi Viri clauderentur, nè illorum nomen per Exterorum ora volitaret, Europæa Freta transnataret, Alpes, ac Pyreneos transiliret? Eis eventurum fore reor, quod alijs de Schola benemeritis legimus malo fato contigisse; quorum Scripta seu corrosit tinea, vel oblivio delevit sempiterna, aut si ullam promerita fuere gratiam, apud Nostrates eam duntaxat obtinuerunt. Econtrà Joanni Turrecremata maius omni proculdubio peperit decus immortale illa celebris Summa de Ecclesia; Aguirrio Collectio maxima Conciliorum omnium Hispaniæ; Abulensi in universam Scripturam viginti & quatuor grandium Voluminum Editio: Cano Opus de Locis Theologicis; & Magno Suaresio Liber missus ad Jacobum Scottorum Sextum, & Primum Angliæ Regem, manu Carnificis, ut inquiunt, combustus Londini; quam singula, quæ scholasticè exararunt, vel Typis dare potuerunt.

Habent, qui legunt, quos imitentur. Nè duri Iudices sint, sed boni, æquiquè extimatores, humiliter obsecramus. Nostri Officij, & muneris Lecloraliū, parumpèr cogitent esse ad lectionem divinarum Scripturarum Juvenes invitare, & nihil tam novum prodire in Theatrum, quod illustrium non comprobet Academicarum consuetudo. O! Mea utinam peragantur vota; ut aliquando Exteri, quæ feracia ingenia nunc nostra Hispania parturiat, volentes nolentes, sciant.

PRO MATUTINO CERTAMINE.

I.

EX omnibus , quæ in Scriptura Sacra venturi Christi præsentia extant, Oraculis , ut splendidum imprimis , ac illustre , ita controversijs etiam, & disputationibus vexatissimum illud est , quod iam iam emoriturus Jacob, cum cæteris quoque filiis futuros rerum exitus panderet , edidit , ita alloquens Judæ filio suo : *Non auferetur Sceptrum de Juda , & Dux de femore eius , donec veniat qui mittendus est , & ipse erit expectatio gentium.* Nihilominus Rabbini Recentiores colligentes nova doctrinæ suæ iam labescentis præsidia , aliò clarissimi Oraculi sententiam deflexerunt ; undè ullam venturi Christi prædictionem in eo contineri præfractè negant. Nos è contra in Christo Domino adamusim completum fuisse sacrum hocce vaticinium tuebimur , adherendo non solum nostræ Vulgatæ , sed & Textui Hebræo , & Versioni Septuaginta , & Targo Hierosolymitano , & Jonathanis Perapbrasi , & Samaritano Pentatheuco.

I I.

LICET omnes Catholici in eo coeant, veram Jacobum vaticinationem effuisse de adventu Christi Domini ; attamen , cum priusquam Christus nasceretur , per tot retrò secula ablatum fuisset iam Sceptrum de Tribu Juda ; ut firment Oraculi veritatem , novas inire vias , multiplices interpretationes procedere , & in dissimiles abire sententias coacti fuere. Nobis arridet ea , quam edocuerunt Martyr Justinus , Eusebius Cæsariensis , Ambrosius , Chrysostomus , Augustinus , Theodoretus , Casaubonus , ac Pererius. Cum quibus non erit difficile ponere in propatulo : *Non ita intelligendam fore Prophetiam Jacobeam , ut præcisè de sola Tribu Juda verificari debeat : sed pro Juda debere intelligi gentem omnem Judaicam duodecim intra Tribus contentam , in qua non defecit certò Principatus , quousque tempore Christi translatus est per Romanos ad Herodem Alienigenam.*

I I I.

CUI autem anno debeamus illigare proprium Natale Christi Domini , est difficultas de qua ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio diversæ fuerunt Sanctorum Patrum sententiæ , & magno animorum æstu etiam nùm rixantur periti huius temporis Chronologi. Amandatis opinionibus Baronij , Pagij , Harduini , Capelli , Calvisij , Vossij , ac Scaligeri ; proprium Natale Christi Domini illigabimus anno quadagesimo Octaviani Augusti Imperij: trigesimo sexto Regni Herodis: Quarto Olympiadis centesima nonagesima tertia: Condita Urbis Roma septingentesimo quadagesimo nono. Qua propter etiam dicemus Aeram vulgarem , sive Dionysianam integro quadriennio claudicare , ac id circò hunc non esse annum millesimum septingentesimum quinquagesimum primum ; sed millesimum septingentesimum quinquagesimum quintum.

PRO VESPERTINO CERTAMINE.

IV.

SEU fuerint Reges, sivè Toparchæ, quoquè Magos elegit Deus testes Nativitatis Filij sui. Scrutandis sedulò rerum causis, siderumque motibus intenti hi, cum vidissent novam Stellam irradiantem, quæ portendebat natum esse eximium Regem, quem Judæi expectabant, divino Spiritu afflati ad Cunas Recentissimi proni adoraturi accesserunt. Plures prisca Patres eos ad Hierosolymam venisse ex Chaldeæ autumarunt. Alij Interpretes tantum ex Perside prodijisse literis consignarunt non fulvæis obnixi fundamentis. Ut ut sit, fide sanctum est, verum esse illud: *Reges Arabum, & Sabba dona adducent: & dabitur ei de auro Arabia. Quo subfulto rationibus testimonio proclive certò erit nec Persidi, nec Chaldeæ, nec Petree, nec Deserte, sed dumtaxat Arabiæ Felici nobilem ortum, ac Magorum profectiorem exhibere.*

V.

UTRUM verò Stella, quæ Magos perduxit ad Domini Præsepe, fuerit ulla ex immobilibus locatis in firmamento? nè Angelus lucidum gestans corpus? an quidpiam elementare instar Cometes de novo factum? non est orij nostri ad trutinam revocare; sivè enim hæc, seu illa opinio vera sit, perindè est, nè ullo modo enervatur auctoritas Sacræ Historiæ, cum equè probabili fulciantur conjectura. Nùm verò, quodcumque fuerit illud flammeum Phænomenon, Magos duxerit ab Oriente in Hierosolymam? res est plus longè digna ingeniorum certamine. Ab Oriente in Hierusalem illud viam præcedendo Magis indicasse, & veteribus, & picturis novis roborata communis sententia tenet; cui nè subscribamus, multa, eaque valida aliqui Interpretes eruditi suppetunt Documenta. Dicemus ergo *Stellam, quæ in Domini natalitio apparuit, non ab Oriente in Hierosolymam, sed dumtaxat ab Hierosolyma in Bethlehem præcedendo Magos duxisse.*

VI.

NON miramur, aliquos Critices laxioris venditare voluisse, in ipsa nativitatis Christi nocte Templum Pacis Romæ subito corruisse. Eadem nocte Romæ olei fontem manasse, atque torrentis instar se mari iunxisse, & per aliquos dies perdurasse. Eadem die tres apparuisse Soles, qui paulatim in eundem Orbem coiverunt. Ast porrò subit mirari, qui fieri potuerit, ut doctissimus Annalium Ecclesiæ Parens, Vir si quis umquam fuit in Republica literaria oculatissimus, fidentè exaraverit à Nativitate Christi Domini Paganorum Oracula penitus cessavisse. Ostendemus *Monumentis Antiquitatis & Ecclesiastica, & prophana hallucinatum fuisse Baronium: cum adhuc post Domini Christi ortum Imperatorum temporibus, potissimum Neronis, Domitiani, Adriani, Severi, Juliani, & aliorum, ut rudes deciperent, sint locuti & Dæmones, & quandoque Livati Sacerdotes.*

Disputabuntur

Die 22 Martij anni 1751. Manè hora 8. Vesperè autè 2.



00241045

